

## **QUAESTIONES HOMERICAE.**

- 1) *DE PRONOMINUM ὅΣ ET ὅΣΤΙΣ NATURA ET DISCRIMINE ET PRAECIPUE DE RELATIVI ὅΣΤΙΣ USU APUD HOMERUM.*
- 2) *DE VERSU ILIADIS II., 144.*

---

SCRIPSIT

**FRANCISCUS KRATZ,**

SUPER ORDIN. GYMNASII COLLEGA.

---

# HAUPTMOSÆ GÆVOLTAEG

HAUPTMOSÆ GÆVOLTAEG  
SØNDOMMENDE MÆLDE. HØSTENDE MÆLDE.  
SØNDOMMENDE MÆLDE. HØSTENDE MÆLDE.

# HAUPTMOSÆ GÆVOLTAEG

HAUPTMOSÆ GÆVOLTAEG  
SØNDOMMENDE MÆLDE. HØSTENDE MÆLDE.

*DE PRONOMINUM ὉΣ ΕΤ ὉΣΤΙΣ NATURA ET DISCRIMINE FT PRAECIPUE  
DE RELATIVI ὉΣΤΙΣ USU APUD HOMERUM.*

*Praefatio.*

Quum delato ad me ex usitato in Gymnasiis ordine scholae nostrae annalibus praefandi munere quod potissimum mihi sumerem scribendi argumentum mecum reputarem, haud alienum mihi visum est ex iis, quae paullo ante Homeri carminum lectioni intentus in adversariis meis notaveram, nonnulla promere ac diligentius pertractare. Maxime autem per aliquod tempus structurae relativae, qualis apud Homerum est, observatio occupatum me tenuerat, ita ut locos, qui ad hanc rem pertinerent, diligenter colligerem et singulos pro peculiari natura ac ratione in certum quendam ordinem redigerem. Quum vero, si hanc rem per omnes partes tractandam suscepisset, neque mihi, tot aliis praeterea negotiis disticto, satis otii fore et commentationem meam eos fines ac terminos, quibus huiusmodi libelli circumscribi solent excessurum esse intelligerem, rectius me facturum esse existimabam, si partem aliquam illius rei explicandam et illustrandam mihi sumerem, cetera, quae hoc pertinerent, in aliud tempus et in aliam scribendi occasionem differrem. Itaque hoc tempore de relativorum ὡς et ὡστις natura et de posterioris pronominis apud Homerum usu paucis disserere constitui, ita tamen, ut ex magna de hac re disputandi copia eam praecipue partem, quae est de illorum relativorum diversitate ac discriminē, accuratius pertractarem. Quem quidem locum imprimis hanc ob causam dignum existimavi in quo elaborarem, quod neque a grammaticis satis plene et dilucide explicatus, neque ab Homeri interpretibus ea, qua par erat, cura ac diligentia tractatus est, ut, qui Homeri carmina et praecipue rationes grammaticas in iis penitus cognoscere cupiant, necessario quodam adiumento egere videantur. Nec vero ut primo intuitu facile cuiquam videatur, haec quaestio exigui et levis momenti est, nec caret difficultatibus. Quodsi viri docti, quibus de his rebus iudicium est, aliquantulum me contulisse ad expediendas illas difficultates existimabunt, laboris in hanc commentationem impensi me non poenitebit. In enucleanda autem vi et natura pronominum eam secutus sum viam plane novam, quam nuper M. Meiringius, perspicax et subtilis rerum grammaticarum scrutator, patefecit duabus dissertationibus, quibus rectiorem viam ac rationem iniit ad explicandum conjunctivum

illum, quo scriptores latini in enunciatis relativis causalem, concessivam etc. vim habentibus utuntur. \*)

I. *De relativo ὅς.*

Qui diversarum gentium linguas cogitatione persequitur et qua via et ratione singulae ortae et paullatim exulta sint inquirit, eum fugere vix potest, pronomen relativum non iis adnumerandum vocabulis esse, quae primitiva habentur, nec pari ratione atque illa originem cepisse. Etenim satis constat, in oratione conformanda totas gentes ac singulos homines pariter procedere, ita ut suam quamque gentem infantiae aetatem habuisse iure dixeris. Neque erit facile quisquam qui ignoret, homines prima illa et tenerrima aetate, ubi animi vires ac facultates rudes et inulta sunt et quasi torpent, simplicissima dicendi ratione uti, ita quidem ut quaecunque sentiant ac cogitent statim et quasi inconsiderate eloquantur, nulla ratione habita eius vinculi, quo cogitata alia ex aliis apta et connexa esse videantur. Idque vel in eo dicendi genere, quo etiam nunc vulgus uti videmus, facile conspicuum fit, sermonem, quum ab elegantia et urbanitate longius recedat, hac quidem re primae illius infantiae aetatis similitudinem servare, quod ab omni quaesitiori et concinniori verborum structura abhorret, ita ut res plerumque singulae nec ad certum ordinem quo inter se continentur coniunctae pronuncientur et designentur. Neque igitur mirari licebit, quod praeter alias verborum structuras eam, quae relativi pronominis ope efficitur, rarius adhibitat videmus. Iam si graecarum litterarum monumenta, quae ex ultima antiquitate ad nos pervenerunt, consideramus, in Homeri carminibus satis largam oratio exemplorum copiam offert, quibus eandem illam structuram sero demum in usum venisse et frequentatam esse suspicari licet. Quamquam enim Homerus plurimis locis eadem qua posteriores scriptores ratione utitur illo pronome, tamen in multis aliis ita usurpat ut, quod quidem formam attinet, nihil a demonstrativo pronome differat, in aliis etiam, in quibus ex posterioris aetatis dicendi ratione requiritur, plane illud negligit, adhibitis plerumque particulis, quibus sententiarum partes disiungi potius et inter se opponi videantur. In iis vero vocabulis, quae primitiva putanda sunt, procul dubio est pronomen demonstrativum. Nam ubi primum homo eam aetatem ingressus est, qua rerum externarum notiones mente percipere et voce exprimere incipit, re ipsa quasi cogi videtur, ut maxime illo pronomine utatur. Hoc enim pronomine illud ipsum efficitur ut res externas cogitatione comprehendamus, ut easdem etiam ii, quibuscum communicamus, comprehendant et animo informent, ut denique nosmet ipsi, quum locuturi sumus, res denuo mente concipiamus. Ac pueri quidem, quoad rerum nominum rudes sunt et

\*) „Zwei Abhandlungen zur lateinischen Syntax.“ Bonn bei Habicht 1854: 1) Ueber das lateinische Pronomen relativum mit dem Conjunction in causalen, concessiven und verwandten Sätzen. 2) Ueber das lateinische Pronomen relativum mit dem Conjunction der Beschaffenheit, nebst bezüglichen Erklärungen über das Nomen und Pronomen überhaupt.

ignari, sola istius pronominis ope rerum notitias animis percipiunt et cum aliis communicant. Quae quum ita sint, vix ullo modo dubitari poterit quin pronomen demonstrativum ipsa illa aetate extiterit, qua primum oratio excoli et conformari coepit. Est autem illud pronomen suapte vi et natura certum aliquid ac definitum, vel, ut apertius dicam, id quo res aliqua ut certa ac definita indicatur. Nam si quis dicit, „da mihi id“, certam rem ac definitam mente complectitur, et eandem ut certam ab eo, ad quem verba facit, cogitatione perceptam vult. Hoc ipsum pronomen demonstrativum, quo res certa ac definita designatur, in Graecorum sermone est „τό“. Haec enim pronominis forma, quo neutrum genus significatur, primitiva esse videtur et antiquior illis formis, quae ad masculinum et femininum genus pertinent. Utrique autem formae et masculini et feminini generis initio eandem litteram τ praefixam fuisse, (τὸς et τὴ), postea vero eam litteram mutatam esse in spiritum asperum qui et ipse vim demonstrativam indicat, id vel ex eo colligi potest, quod pronominis formae τοι and ται exstant positae pro οι et αι et adverbium demonstrativi τως pro ως (Il. III, 415. Od. XIX, 234). Iam vero ex hoc demonstrativo pronomine ortum est relativum ὃς, ἡ, ὅ. Ab eo inde tempore, quo demonstrativi usus ita immutatus est, ut relativi vim adipisceretur illud pronomen, magnum in cogitando et loquendo homines progressum fecerunt. Initio autem relativi formam haud diversam fuisse a forma demonstrativi neque discriminis quidquam intercessisse inter ὃς, ἡ, ὅ et ὁ, ἡ, τό, vel inde colligere licet, quod et apud Homerum promiscue usurpantur utraeque formae et apud posteriorum temporum scriptares ὃς interdum ita ponitur, ut demonstrativam vim habeat. Neque abhorret a verisimilitudine, antiquissimis temporibus, priusquam verum relativum ex demonstrativo factum erat, pronomen demonstrativum ad rem antecedentem referri debere ita significatum esse, ut adderetur particula τέ, indeque ortum esse relativum illud ὃςτε, quod in antiquissima epicorum poetarum lingua saepissime ita usurpatur, ut nulla habita particulae τὲ ratione ὃςτε a nudo ὃς nihil differre existimes. Quae relativi cum particulae τὲ coniunctio postea quam demonstrativum ipsum relativam vim adeptum est tanquam supervacanea paullatim omitti coepit et postremo adhiberi plane desiit. Quodsi pronomine ὃς vis relativa pronominis demonstrativi continetur, ex huiusce natura illius vis ac ratio facillime elicetur. Quum enim, ut supra docuimus, pronomen demonstrativum rei certae ac definitae notioni mente conciendi inserviat, facile apparet, relativi ὃς eam ipsam rem certam tanquam mente iam conceptam designari, sive relativum ὃς natura sua ita comparatum esse, ut ad rem vel personam certam ac definitam referatur.

Sed si accuratius consideraverimus huiusce relativi rationem ac naturam, duo relativi definiti genera esse reperiemus. Primum enim ὃς ita usurpatur, ut notionem contineat rei certae ac definitae *antecedentis*. Quum dicit Homerus *Ἄτλαντος, ὃς τε θαλάσσης πάσης βένθον οἰδεν, — Ἀπόλλων, τὸν ἡύκομος τέκε Αἴτω, — μηνστῆρες, οἱ δὲ μέγαρον κάτα κοιρανέουσιν*, relativum ὃς ad personam certam spectat iam commemoratam, sive notionem rei certae antecedentis repraesentat. Alterum relativi illius genus id est, quo ea rei certae notio continetur, quae sequenti demum

attributo efficitur. Qui relativi usus respondet latino *is*, *qui vel qui, is*, germanico *der, der*; haec enim principio correlativorum forma fuit, non *der, welcher*; *welcher* enim proprie non *qui*, sed *qualis* est et respondet demonstrativo *solcher*. In versu Homerico Il, I, 125

*ἀλλὰ τὰ μὲν πολίων ἔξεπράθομεν, τὰ δέδυσται,*

relativum *τὰ* per se quasi inane est, quum non referatur ad rem antecedentem, et addito demum verbo *ἔξεπράθομεν* efficitur ut rei certae notionem contineat. Ceterum haec relativi *ὅς* adhibendi ratio, si graeci sermonis usum cum latinae linguae consuetudine compares, rara est propter participiorum frequentem usum.

## II. *De pronomine relativo ὅτις.*

1) Quae sit pronominis relativi *ὅτις* ratio ac vis et qua re ab eo relativo, cuius adhuc naturam explicare conati sumus, differat, qui accuratius cognoscere cupit, ei ante omnia unde ductum sit pronomen quaerendum est. Iam satis constat vulgo statui natum esse pronomen illud e relativo *ὅς* et indefinito *τις*; sunt adeo qui *ὅτις* pro *τις* *ὅς* positum esse censeant; alii, inepte, ut facile perspiciet qui pronominis nostri rationem obiter consideraverit, addito indefinito *τις* relativi *ὅς* vim augeri existimaverunt. Nos facere non possumus quin aliam et a vulgari illa discrepantem de illius vocis origine sententiam pronunciemus. In antiquissima Graecorum poesi constat non solum formam *ὅτις*, eadem ratione declinatam, qua apud posteriores scriptores flecti solet, sed etiam formam *ὅτις* usurpari eiusque formae primam partem indeclinabilem esse, ut ceteri casus sint *ὅτεο*, *ὅτεν*, *ὅτετεν*, *ὅτεῳ*, *ὅτινα*, *ὅτεων*, *ὅτεοισιν*, *ὅτινας*, ipsosque scriptores atticos genitivo et dativo *οὗτινος*, *ὅτινι* praeferre *ὅτου* et *ὅτῳ*, et apud Herodotum genitivum quoque et dativum pluralis numeri non *ῶντινων*, *οἵτινιν*, sed *ὅτεων*, *ὅτεοισιν* esse. cf. Struv. de dialecto Herod. specimen (I). Iam vero quod vulgo statuunt, formas *ὅτις*, *ἥτις*, *οὗτινος*, *ἥτινος*, *ἥτινι* etc. primitivas esse easque eius relativi formas, quarum prima pars (*ὅ*) per casus flecti nequeat, inde ortas esse, quod quasi obtorpuerit relativum *ὅς* cum indefinito coniunctum, non facile quisquam nobis verum esse persuaserit, nec dubitamus contrariam illi quac vulgo fertur sententiam proferre, formam *ὅτις* ceterisque, quarum prima syllaba declinationem non admittit, nativas et primarias, eas autem, in quibus syllaba illa in modum relativi *ὅς* flectitur, ex illis ortas esse. Nobis enim persuasum est, *ὅ* in *ὅτις*, *ὅτου*, *ὅτῳ* non diversum esse a prima syllaba adverbiorum relativorum *ὅπον*, *ὅποθι*, *ὅποι*, *ὅπόθεν*, *ὅπότε* etc., qua adverbii indefinitis *ποὺ*, *ποῃ*, *ποὶ*, *ποθὲν* etc. vim relativam addi constat. Prorsus eadem ratione pronomini indefinito *τις* praefigitur *ὅ*, utque adverbio *ὅπον* vis relativia adverbii indefiniti *ποὺ* continetur, sic *ὅτις* vis relativia indefiniti *τις* est. O igitur signum relationis est et simili ratione adhibetur qua Hebrei vocabulo **וְאֵת** uti solent, quo et ipso aliis pronominibus relativam vim tribui nemo eius linguae gnarus ignorat. Vehementer a verisimilitudine abhorret et analogiae repugnat, pronomen *ὅς*, quum declinationem admitteret, eo quod cum indefinito *τις* copu-

latum sit, eam naturam induisse, ut a declinatione alienum esset; vix ullum aliud vocabulum apud Homerum reperias, quod ista ratione quasi vita privatum obtorpuerit. (cf. Naegelsb. ad II. ed II. additam. p. 12). Contra non pauca apud Homerum vocabula reperiuntur, quae, quum per se indeclinabilia essent, temporum decursu ita immutata sunt, ut declinari possent. Sufficiat commemorare vocem epicam *ἀκέων*, de qua disserit Buttmann. in lexilog. I. p. 11 sqq. Hic nonnullos veterum grammaticorum secutus recte, quoad quidem de talibus rebus iudicari potest, eam vocem a verbo *χαίνειν* dicit et proprie genus neutrum adiectivi *ἄκαος* adverbiali significatione usurpatum et scriptorum ionicorum more mutatum esse dicit; illud autem adverbium postea, cum verbo *εἶναι* coniunctum, mutato accentu pro participio habitum esse eiusque femininum genus *ἀκέονσα*, dualem numerum *ἀκέοντε* adeoque novum verbum *ἀκέω* (quo Apollon. Rhod. utitur) in usum venisse. Similis est ratio aliorum vocabulorum, de quibus Buttmann. in lexilog. II p. 227 sq. Naegelsb. ad II. III, 403 disserunt. Igitur pronominis *ὅτις* priorem syllabam, qua relativa indefiniti vis efficitur, initio indeclinabilem, postea, sed iam ante Homeri tempora, Graeci vocis originem oblii eadem ratione qua relativa *ὅς* declinare coeperunt, ita tamen ut altera forma *ὅτις*, *ὅτεο*, *ὅτινα* etc. in usu esse non desineret, adeoque assueverant prioris relativi partis declinationi et prava de vocis *ὅτις* origine opinio ita invaluerat, ut *ὅς* et *τις* interdum intercedente particula separarentur. Ita iam apud Homerum legitur *ὅς οὐ τις* (Il XVI, 257), *ὅς πού τις* (Od. XVI, 306). Thucyd. IV, 4. Krüger. Gramm. gr. §. 54, 15, n. 1. Quae si vera est de pronominis *ὅτις* origine sententia, facile apparet magnum inter *ὅς* et *ὅτις* discrimen esse in ipsa utriusque relativi natura atque origine positum, tantumque differre pronomen *ὅτις* a relativi *ὅς*, quantum indefinitum *τις* differt a demonstrativo *ὅς*, nec proprie quidquam relativi *ὅτις* cum *ὅς* commune esse nisi quod utrumque relativam vim habeat. Iam quae sit pronominis *ὅτις* vis ac significatio, ex indefiniti *τις* natura et ratione cognosci potest, ut relativum *ὅς* ex demonstrativi *ὅς* ratione explicandum esse supra docuimus. Ut autem *ὅς* natura sua ad rem vel personam certam ac definitam refertur, ita *ὅτις*, quum pronomen indefinitum *τις* notionem generalem contineat, generalem habere significationem et ad rem incertam referri consentaneum est. Quae vocabulorum diversitas in eo quoque cernitur, quod *ὅς*, ut supra vidimus, etiam demonstrativam, *ὅτις* autem relativam tantum vim habere potest. *Ὅτις* igitur, quum vim relativam pronominis indefiniti *τις* contineat, proprie est *aliquis-qui*, *emine-der, si quis*. Simili ratione Latinorum pronomini indefinito *quis* (*aliquis*) eo vis relativa tribuitur, quod dupliciter ponitur, et *quisquis* est relativum indefiniti *quis*, quemadmodum adverbia *ubiubi*, *undeunde* etc. relativa sunt indefinitorum *ubi*, *unde* etc. Errant enim qui istas formas geminatas ex interrogativis ortas esse volunt. De iis Homericorum carminum locis, quibus *ὅτις* ad rem certam ac definitam refertur quibusque eadem hoc pronomen qua relativa *ὅς* ratione usurpari multi contenderunt, infra disseremus et demonstrare conabimur, nusquam apud Homerum pronominis *ὅτις* eum usum esse, ut nihil differat a pronomine *ὅς*. Hermannus ad Sophocl. Oed. Tyr. v. 694 et in praefat. ad edit. tert. p. VI. sqq., ubi ea,

quae Struvius in quaestionum de dialecto Herodoti specimine supra laudato de pronominis ὅστις usu protulit, luculente refutat et loco Sophocleo oblatam suae de relativi ὅστις sententiae accuratius exponendae occasionem arripit, veram relativi nostri vim ac rationem sensisse magis quam perspexisse videtur. Dicit enim primum ὅστις idem esse quod *qui scilicet aliquis*, ita ut τις in appositione positum esse putet ad relativum ὃς; deinde addit hoc idem esse quod *aliquis, qui*: quae duae significaciones quomodo coniungi et nihil inter se differre dici possint fateor me non vide. Nec tamen mirandum est Hermannum in talia incidisse, quum vulgarem istam de pronominis origine sententiam sequeretur idque vocabulum ex relativo ὃς et indefinito τις ortum esse existimaret. Neque Hermanno, quum veram pronominis nostri rationem definire vellet, interpretandum erat *aliquis, qui*, quasi duae inter se sciunctae notiones subessent, sed *aliquis-qui*, ut una existeret notio, nulla amplius seiungendi ratione reicta, et vis relativa (die Relativität) pronominis indefiniti *quis* significaretur. Quod magis etiam patebit, si loco enunciati relativi participio uteris; nam e. g. ὅστις τετίμηται idem est quod τις τετίμηνός, *aliquis-qui honoratus est, aliquis honoratus*; contra ὃς τετίμηται idem est quod ὁ τετίμηνός, *is qui honoratus est*. Germanice illud interpretandum est einer der geehrt worden ist, ein geehrter, hoc der der geehrt worden ist, der geehrte. —

Iam pronominis relativi ὅστις origine et peculiari quae inde ducitur significacione perspecta ad id transeundum est, quod praecipue hac dissertatione tractandum mihi proposui, ut qui usus eius apud Homerum sit inquiram.

2) Primum relativum ὅστις apud Homerum ut apud posteriorum temporum scriptores saepissime ita usurpat, ut in protasi positum significet *si quis* vel *quisquis*. E multis quae afferri possunt huius usus exemplis nonnulla tantum laudare in animo est. Odyss. VIII, 204 sq. haec sunt:

τῶν δ' ἄλλων ὅτινα κραδίη θυμός τε κελεύει,  
δεῦρ' ἄγε πειρηθήτω —

h. e. Ceterorum autem si quem vel quemcunque animus iubet etc.  
ibid IX, 94 sq.

τῶν δ' ὅστις λωτοῖο φάγοι μελιηδέα καρπόν,  
οὐκέτ' ἀπαγγεῖλαι πάλιν ἡθελεν οὐδὲ νέεσθαι.

h. e. horum autem si quis v. quisquis loti dulcem fructum edisset etc.

Il. IX, 341 sq.

— ὅστις ἀνὴρ ἀγαθὸς καὶ ἐχέφρων,  
τὴν αἵτον φιλέει καὶ κῆδεται —

h. e. si quis v. quisquis est vir bonus etc.

3) Per multis locis huic relativo generalem significacionem continent in apodosi respondeat pronomen demonstrativum ὁ (nunquam οὗτος), addito plerumque δὲ ἀποδοτικῷ (de quo v. Naegelsb. ad II I, 138. II, 189). Od. VII, 211 sq. haec leguntur:

οὐχιτας ὑμεῖς ἕστε μάλιστ' ὄχέοντας οἵζυν  
ἀνθρώπων, τοῦσίν τεν ἐν ἀλγεσιν ἵσωσαι μην. —

h. e. quoscunque vos scitis maxime aerumnam habere, iis etc.

cf. II. II, 198 sq. IV, 240 sq. — Od. XI, 147 sq. haec sunt:

ὅντινα μὲν τεν ἐᾶς νεκύων κατατεθητών  
αἴματος ἀσσον ἴμεν, ὁ δέ τοι νημέστες ἐνίψει.

Eadem est ratio v. v. II. II, 188 sq. X, 489 sq. XV, 743. 745.

Similiter apud scriptores latinos relativo *quisquis*, *quicunque*, *siquis* in apodosi respondere potest pronomen demonstrativum *is*.

4) Huc pertinent etiam perpauci illi loci Homerici, in quibus ὅστις ad praedicatum pertinet. Od. IV, 376:

ἐκ μὲν τοι ἔρεω, ἥτις σύ πέρ ἐσσι θέάσων.

h. e. quaecunque es dearum. ibid. V, 445:

ἄλλθι, ἄναξ, ὅτις ἐσσι. —

5) Ut relativo ὅστις in apodosi respondere potest pronomen demonstrativum, ita idem relativum etiam ad demonstrativum antecedens refertur, modo ne hoc demonstrativo res vel persona certa ac definita designetur. Simili ratione apud latinos scriptores antecedenti *hic*, *is* interdum respondet relat. *quisquis*.

Od. II, 113 sq.

— ἄνωχθι δέ μιν γαμέσθαι  
τῷ ὅτεῳ τε πατήσιον κέλεται καὶ ἀνδάνει αὐτῇ.

II. V, 301:

τὸν κτάμεναι μεμάσως, ὅστις τοῦγ' ἀντίος ἔλθοι.

cf. Od. V, 188. II. I, 554. XVII, 8. XX, 127. cf. Krüger Gr. §. 51, 8,2. Od. XVII, 420 legitur τοιώ όποιος ἔστι, ubi eandem correlativorum rationem esse apparet.

6) Multo autem saepius pron. ὅστις eadem significatione (*aliquis-qui*, *si quis*, *quisquis*) demonstrativo non antecedente usurpatur, ut correlativum generalem significationem habens supplendum sit, ad quod relativum ὅστις referatur. Libet nonnulla eius usus exempla apponere.

Od. III, 320 sq.

— ὅθεν οὐκ ἔλποιτό γε θνύμῳ  
ἔλθεμεν, ὅντινα πρῶτον ἀποσφῆλωσιν ἀελλαι —

h. e. unde non speret se redditum quemcunque vel si quem etc.

ibid. V, 447 sq.

αἰδοῖος μὲν τ' ἔστι καὶ ἀθανάτοισι θεοῖσιν  
ἀνθρῶν ὅστις ἴηται ἀλώμενος —

ibid. II, 335 sq.

— οἰχία δ’ αὐτε

τούτου μητέρι δοῦμεν ἔχειν ηδ’ ὅστις ὀπνίου.

h. e. domum vero eius matri demus et (alicui), quisquis eam in matrimonium duxerit.

Alia huius usus exempla sunt: Od. I, 158. 389. II, 25. 161. 294. VIII, 147 sq. 548 sq. XIV, 54 sq. 106. 163. XV, 35. 317. XVI, 76. 386. XVII, 421. XVIII, 112 sq. XIX, 510 sq. 528. XX, 335. XXII, 377. XXIV, 215. 286. (ἡ γὰρ θέμας, ὅστις ὑπάρξῃ i. e. hoc enim ius est [eius] quicunque cooperit). 454. II. I, 230. II, 215. VIII, 422. IX, 102. 367. X, 307. XII, 428. XIV, 220 sq. XV, 109. 148. 640 (εἴη δ’ ὅστις ἀπαγγεῖλει, i. e. Sit aliquis-qui nunciet, nunciet aliquis). XVIII, 426. XIX, 265. XXI, 103. 347. XXIII, 667. 749.

7) Ex iis, quae de relativi ὅστις origine et peculiari significatione docuimus, facilis est ad explicandum frequens eius usus is, quo ad τις, οὗτις, ἄλλος, ἄλλος τις etc. refertur. Similiter posteriores scriptores coniungunt οὐδεὶς ὅστις, οὐδεὶς ὅστις οὐ, τις ὅστις. cf. Krüger. Gr. gr. §. 51, 10, 11. 67, 14, 1.

Il. XII, 334 sq.

πάπτηνεν δ’ ἀνὰ πύρον Ἀχαιῶν εἴ τιν’ ἵδοιτο  
ἡγεμόνων, ὅστις οἱ ἀρὴν ἐτάροισιν ἀμύναι.

ubi ὅστις eadem ratione respondet antecedenti τις, qua δὲ respondere solet demonstrativo δ.

Od. VIII, 239 sq.

— ως ἀν σὴν ἀρετὴν βροτὸς οὔτις ὄνοιτο,  
ὅστις ἐπίσταιτο ἢσι φρεσὶν ἄρτια βάζειν.

cf. Od. XXII, 415 sq. XXIII, 66. Il. XX, 363 sq.

Od. VIII, 32.

οὐδὲ γὰρ οὐδέ τις ἄλλος, ὅτις χ’ ἐμὰ δώματ’ ἴκηται,

cf. Od. XVIII, 334 sq. Pronominis ὅστις ad vocabulum ἄλλος relati multa apud Homerum exempla sunt. Od. VI, 28.

καὶ δ’ ἄλλῃ νεμεσῶ, ἥτις τοιαῦτά γε ὁρέζοι

cf. Od. I, 47. Il. VI, 320 sq. XII, 267. XXIII, 494.

8) Ubi pronomen ὅστις ad substantivum refertur, duo exemplorum genera distinguenda esse videntur: alterum si ὅστις ad substantivum refertur, quo res vel persona incerta designatur, alterum si relativum ad rem vel personam certam ac definitam spectat, ut pro relativo δὲ positum esse nihilque ab eo differe videatur.

Priori genere comprehenduntur haec exempla:

a) ὅστις refertur ad merum substantivum,

b) ὅστις refertur ad substantivum, cui iunctum est pronomē aliquod indefinitum,

c) ὅστις refertur ad substantivum, cui appositum est pronomē demonstrativum.

a) Hic quoque duo exemplorum genera distinguenda esse videntur. Nam pars eorum ita comparata est, ut ὅςτις reddi debeat per *qui* (proprie *aliquis-quā*), reliqua eiusmodi sunt, ut ὅςτις significet *si quis v. quicunque*. Prioris generis exempla haec sunt: Od. I, 280:

νῆ ἄρσας ἐφέτησιν ἔεικοσιν, ἥτις ἀρίστη,

h. e. viginti remigibus instructa navi (aliqua) quae optima. Ibid. II, 349 sq.

μαῖς ἄγε δή μοι οἰνον ἐν ἀμφιφορεῖσιν ἄφυσσον

ἥδη, ὅτις μετὰ τὸν λαρώτατος —

h. e. hauri vinum suave (aliquid) quod sit dulcissimum. Quae exempla si in germanicum sermonem convertis, aut mero substantivo aut substantivo iuncto cum articulo indefinito utendum est. cf. Od. I, 229. VIII, 424. X, 522. XVI, 348. XIX, 403. II. III, 286. IV, 540. VIII, 36. 467. X, 20. 44. XIII, 118. XIV, 92. XVII, 62 etc. etc. De loco Od. IV, 551 sq. infra disseretur. Videtur hic pronominis nostri ille usus esse, quo inductus Krügerus aliquie *qualitativam* eius significationem esse statuerunt. Quam quidem observationem cum nostra de relativi ὅςτις natura et origine sententia congruere facile quisque intelliget.

Aliis locis relativum ὅςτις ad merum substantivum spectans significat *quisquis, quicunque*. Od. IV, 94 sq.

καὶ πατέρων τάδε μέλλεταικονέμεν, διτινες ὑμῖν  
εἰσίν.

h. e. ex patribus, quicunque vobis sunt.

Ibid. VIII, 550:

εἰπ' ὄνομ' ὅτι σε κεῖθι κάλεον μήτηρ τε πατήρ τε.

h. e. dic nomen, quoconque te illic vocabant etc. Alia huius usus exempla sunt Od. I, 316. 415 sq. IV, 600. VII, 149 sq. XV, 400 sq. 448. XX, 115. II. I, 85. 526 sq. XV, 491 sq. XVI, 50. XXIV, 92 etc. etc.

b) Exempla: Od. XII, 66:

τῇ δόουπῳ τις νηῦς φύγεν ἀνδρῶν, ἥτις ἵκηται,

Od. XIX, 346 sq.

εὶ μή τις γρηγὸς ἔστι παλαιή, κεδύα ἴδναι,  
ἥτις δὴ τέτληκε κ. τ. λ.

cf. Od. IX, 38 sq. II. I, 85. X, 20 etc.

c) Ut relativum ὅςτις saepe refertur ad merum demonstrativum, cuius generalis vis est ac significatio, ut non certa ac definita res significetur, sed incerta, ita etiam saepe ad substantivum spectat cum tali demonstrativo coniunctum, ut facile appareat, ὅςτις obtinere propriam suam ac peculiarem significationem. Od. I, 353 sq. haec leguntur:

τὴν γὰρ ἀοιδὴν μᾶλλον ἐπικλείοντο ἀνθρωποι,

ἥτις ἀκονόντεσσιν νεωτάτη ἀμφιπέληται.

ubi non de certo aliquo cantu poeta loquitur, sed de cantu aliquo, de cantu eiusmodi, qui etc., ut ὅςτις suo loco positum esse appareat. Od. VIII, 209 sq.

ἀφρων δὴ κεῖνός γε καὶ οὐτιδανὸς πέλει ἀνήρ, οὐδὲ αὔρουρος (αὐτὸς δὲ τοιούτος εἶναι δύσκολον) ἔριδα προσφέρηται ἀεθλῶν.  
ubi κεῖνος δέστις idem est quod homo eiusmodi, homo aliquis, qui. cf. Od. I, 403 sq.  
μὴ γάρ δγ' ἔλθοι ἀνὴρ δέστις σ' ἀένοντα βίηφιν  
κτήματ' ἀποδόσαιει, Ιθάκης ἔτι ναιεταώσης.

ubi Eurymachus non certum virum ante oculos habet, sed optat, ne vir aliquis veniat, qui Telemacho bona eripiat, cf. II. XIII, 232 sq.

μὴ κεῖνος ἀνὴρ ἔτι νοστήσειεν, μηδὲ δέστις ἐπ' ἡματινὶ τῷδε ἐκὼν μεθῆσι μάχεσθαι.  
h. e. ille vir, quicunque etc.

Apertum est omnibus iis locis, quibus δέστις ad pronomen demonstrativum antecedens, sive nude positum (v. supr. 2), sive cum substantivo iunctum, refertur, demonstrativum ita spectare ad id, quod sequenti enunciato relativo continetur, ut rem quamvis incertam tanquam certam ac definitam designet.

*Not.* Persaepe apud Homerum singularis numerus relativi δέστις ad substantivum pluralis numeri refertur, ut latino *quisquis* v. *si quis* reddendum sit. Eiusmodi exempla haec sunt:

Od. III, 335:

ξείνονς ξεινίζειν, δέστις κ' ἐμὰ δώματ' ἴνηται.

h. e. qui hospites excipient, quicunque domum meam venerit. Ibid. XII, 39 sq.

— Σειρῆνας, αἱ δέ τε πάντας

ἀνθρώπους θέλγοντιν, δέτις σφέας εἰςαρίζηται.

h. e. Sirenes, quae omnes fascinant, quisquis ad eas pervenerit. cf. Od. XIII, 213. XVI, 227 sq. XVIII, 142. XXII, 315 sq. II. III, 278 sq. XXII, 73. XXIII, 285 sq. XXIV, 752 sq.

9) Quae hucusque cognovimus de relativi δέστις usu Homericō, nostrae de eius origine et natura sententiae minime obstare vix est quod monendum esse videatur. Facile apparet ubique ita accipi posse relativum nostrum, ut vis relativa pronominis indefiniti τις eo continetur et significetur *aliquis-qui, si quis, quisquis*. Iam vero ad eos Homericorum carminum locos transeundum est, quibus δέστις pro δέ positum esse videtur quibusque nonnulli viri docti demonstrare conati sunt eum posse relativi δέστις usum esse, ut nihil discrepet a pron. δέ. Nimirum iis locis ita referri pronomen videtur ad rem vel personam certam ac definitam, ut qui vulgarem utriusque pronominis usum consideret, non δέστις sed δέ exspectet. Nos reliqua dissertationis nostrae parte demonstrare conabimur, nullum Homericorum certe carminum locum ita comparatum esse, ut δέστις eandem quam δέ significationem habere nihilque inter haec relativa discriminis intercedere videatur, nec difficile, opinor, erit probare, pronomen δέστις, etiam si ad rem certam referatur, propriam suam ac peculiarem vim retinere. Sed priusquam eos, de quibus quaeritur, locos examinare et ponderare aggrediamur, monen-

dum videtur, horum relativorum diversitatem in eo quoque cerni, quod apud Homerum particula *ἄρα* vel *ὅτι*, quam sexcenties addi pronomini *ὅς*, si ad rem antecedentem refertur, nemo ignorat, relativi *ὅτις* nusquam adiungatur. Loci, quibus *ὅτις* eandem quam *ὅς* significationem habere visum est, hi sunt: Od. II, 124 sq. IV, 551. XVII, 53 sq. II, V, 175 sq. XXIII, 43. Primum examinabimus locum Od. XVII, 53 sq., ubi haec leguntur:

*αὐταρ ἐγὼν ἀγορήνδε ἔλενσομαι, ὅφρα καλέσσω  
ξεῖνον, ὅτις μοι κεῖθεν ἄμ' ἔσπειτο δεῦρο κιόντι.*

Quibus verbis Telemachus in patriam redux matri indicat, se vocaturum esse Theoclymenum vatem, qui homine populari occiso eum Pylo proficiscentem secutus erat. Struvius aliquie hoc loco usi sunt ut demonstrarent, Homerum ita uti pron. *ὅτις*, ut ab *ὅς* non differat. Hospitem illum esse personam certam nec dubium esse, quin poeta etiam relativi *ὅς* uti potuerit. Sed ne nos quidem negamus h. l. pro *ὅτις* alterum illud relativum usurpari potuisse, sed minime concedimus, si eo usus esset Homerus, eandem illius quam relativi *ὅτις* futuram fuisse significationem. *Οἵτις* enim hoc quoque loco significat *aliquis-qui* et vim relativam pronominis indefiniti designat. Nam quamvis certa Telemacho persona sit Theoclymenus, matri tamen, ad quam ista loquitur, incerta est; neque enim ante quidquam de eo audivit. Telemachus igitur illo relativi utitur, quia loquitur ex mente matris sua, nec germanice vertendum est: „dāmit iđ rufe ὁ τεν Ἐγενδίη“, sed „dāmit iđ rufe εἰ τεν Ἐγενδίη“, ut locus noster minime diversus sit ab iis, quos supra p. 11 init. laudavimus.

Alter est locus, quem examinare nobis propositum est, Od. IV, 551 sq.

*Τούτοις μὲν δὴ οἴδα· σὺ δὲ τρίτον ἄνδρο' ὄνομαζε,  
ὅτις ἔτι ζῶσι κατεργάζεται εὐρέτι πόντῳ.*

Proteus Menelao interroganti, utrum omnes Graecorum duces confecto bello Troiano in patriam redissent, responderat, duo eorum (Aiacem et Agamemnonem) interisse, unum (Ulixem) etiamtum errare et circumvagari per maria; deinde Menelaus, postquam Proteus narravit, quia ratione duo illi duces perissent, versibus modo laudatis de tertio deum marinum interrogat. Ne hic quidem locus argumento esse potest, Homernm relativi *ὅτις* eadem qua *ὅς* significatione uti. Etsi enim tertius ille vir Proteo certa persona est, Menelao tamen appetet incertam esse; quem si hoc modo loquentem facies: „istos quidem novi; sed tertii alicuius hominis modo mentionem fecisti, qui adhuc vivus detineatur in lato mari; hunc nomina“, omnia plana ac perspicua erunt nec quidquam de relativi nostri significatione dubitationis restabit.

Tertius locus, de quo disputandum videtur, hic est. Od. II, 123 sqq.

*τόφρα γὰρ οὖν βίστον τε τεὸν καὶ κτήματ' ἔδονται,  
ὅφρα τε κείνη τοῦτον ἔχῃ νόον, δυτικά οἱ νῆν  
ἐν ατήθεσσι τιθεσσι θεοί —*

Sunt verba Antinoi, quibus minatur Telemacho, tamdiu proeos victum eius et bona consumturos, donec Penelope mentem suam mutet. Qui hoc loco probare conati sunt, *ὅτις* ab Homero ita usurpari, ut nihil discrepet ab *ὅς*, pronomen demonstrativum *τοῦτον* ad ea quae

antecedunt referendum esse censuerunt, ut de certa quadam ac definita mente reginac sermo esset. Nobis secus videtur cum Hermann. (l. l. p. X). Non enim ad antecedentia referendum esse arbitramur demonstrativum *τοῦτον*, sed spectare ita ad sequens *ὅντινα*, ut enunciatum relativum explicando demonstrativo inserviat et necessariam totius enunciati partem efficiat. Itaque loci nostri eadem ratio esse videtur atque eorum, qui supra p. 9. laudati sunt, nec facile perspicias, cur Struvius praemissum *τοῦτον* et adverbium *νῦν*, quominus *ὅτις* ita explicetur, obstare contendat. Recte iam Hermannus *τοῦτον-ὅντινα* idem fere esse dixit quod *τοιοῦτον-οἶον*. Ita ne hoc quidem loco *ὅτις* a sua significatione desciscit.

Restant loci Homerici duo, quibus *ὅτις* et *ὅς* sine ullo discrimine a poeta nostro usurpari posse demonstrare conati sunt; quorum alter est Il. V, 175 sq. Aeneas Pandarum hortatur his verbis:

ἄλλ' ἦγε τῷδ' ἔφεις ἀνδρὶ βέλος, Διὶ χεῖρας ἀνασκῶν,  
ὅτις ὅδε κρατέει καὶ δὴ κακὰ πολλὰ ἔσογεν  
Τρῶας κ. τ. λ.

Aeneas Diomedem consciens ingenti caede Troianos prosteruentem, postquam in Pandarum incidit, qui et ipse Diomedem furentem videt, hortatur ut in illum telum coniiciat. Dubitari vix potest, quin demonstrativo *τῷδε* certa ac definita utrique Troiano persona designetur. Neque h. l. eam vim habet pronomen demonstrativum, quam habere vidimus supra p. 9., nec, si relativo *ὅς* poeta usus esset, alterum quisquam desideraret. Sed ne hic quidem locus ita comparatus est, ut nostra de pronomine *ὅτις* sententia eo labefactari possit; persuasum est enim nobis, hic quoque eam vim pronomen habere, ut sit *aliquis-qui*, et diversam enunciati relativi futuram fuisse rationem, si altero illo relativo poeta usus esset. Nam postquam Aeneas quasi digito monstravit Diomedem (*τῷδε ἀνδρόν*), ut certam eum ac definitam personam ante oculos habere negari non possit, eundem, ubi relativo *ὅτις* utitur, statim sub generali notione comprehendit, tamquam si quis germanice dicat: Wirst dein Geschoß auf den Mann da, einen der etc. Latino sermone vix assequi poteris huius enunciati relativi sensum nisi interpretando: *qui vel ut qui* hic superior sit et multis malis *affecerit* Troianos. Haec enim enunciatio relativa ad eas pertinet, quas Hermannus (l. l. p. XIII) rationi reddendae inservire dicit. cf. Matth. Gr. gr. p. 1073. Nos addere non dubitamus, in illis eam numerandam esse enunciationibus relativis rationi reddendae inservientibus, in quibus latini scriptores coniunctivo modo uti solent. De quibus enunciatis Meiringius libro supra laudato optime disseruit. Qui docet in eiusmodi enunciatis eam peculiarem obtinere rationem, ut vis illa causalis non expressis verbis significetur, sed attributi ipsius sensu et natura cogitando efficiatur. Quod attributum ubi rei ipsi tanquam inhaerens cogitetur, causam illam indicativo enunciari, sin vero attributum non rei ipsi, sed eius notioi alicui generali inhaerens cogitetur, coniunctivum adhiberi. Prioris generis enunciata ea sunt, in quibus Graeci pronomine *ὅς* utuntur, alterum genus eorum est, in quibus *ὅτις* locum habet. Itaque in eiusmodi enun-

ciatis relativis latini scriptores coniunctivo suo idem quod Graeci relativo ὅστις significant. Itaque eo loco, unde digressi sumus (II. V, 175 sq.), si pronomine ὁς usus esset poeta, ad Diomedem ipsum referre attributum voluisse; nunc refert ad notionem aliquam generalem, sub qua continetur Diomedes, ita ut Diomedes non *ipse furens* cogitur, sed sub notione *hominis alicuius* ita *furens* (gegen diesen entsende das Geschoß, einen Mann, der da so wütet).

Restat ut ad postremum eorum locorum transeundum sit, quibus eandem relativo ὅστις quam pronomini ὁς vim ac significationem esse contenderunt. II. XXIII, 43 sq. haec Achil- lis verba sunt:

οὐ μὰ Ζῆν, ὅστις τε θεῶν ὑπατος καὶ ἄριστος,  
οὐ θέμις ἔστι λοετὸν καρήταο δόσον ίκέσθαι κ. τ. λ.

Aperte hoc quoque loco ὅστις, quoniam ad nomen proprium refertur, ad certam ac definitam personam spectat. Sed tamen ne hic quidem a propria ac peculiari sua significatione deficere relativum nostrum haud difficile erit demonstrare. Ea est enim loci nostri ratio, ut Achilles, postquam per Jovem iuravit, relativo ὅστις sub generali notione deum accipiat. Non, inquit, per Jovem, deum (aliquem), qui deorum summus ete. Germanico sermone pro- prius accedere ad relativi significationem possumus interpretando: „Nein, beim Zeus, einem Gotte, der ic. Quod si quis Hermannum (l. l. p. XIII) secutus relativum ὅστις hoc quoque loco rationi reddendae inservire et enunciatum relativum vim causalem habere existimet, ut per Jovem se iurare dicat Achilles eam ob causam, quod is sit summus deorum, equidem non repugnaverim. Hoc tamen tenendum est, si illud statuatur, ut accurate reddatur loci sensus, latine dicendum esse: „per Jovem, qui vel ut qui sit deorum summus et optimus“, eandemque huius loci atque II. V, 175 rationem esse.

#### Additamentum.

Postquam satis, ut arbitramur, accurate copioseque de pronominis ὅστις origine et natura deque eius apud Homerum usu disseruismus idque semper in divini poetae carminibus pecu liarem vim suam retinere neque unquam a relativo ὁς non differre docuimus, iam, quamquam primo ultra Homerum progredi non cogitavimus, nonnullos Herodoti locos excutere ac ponderare in animo est, quibus Struvius aliique viri docti probare conati sunt, ab Herodoto certe ὁς et ὅστις sine ullo discrimine usurpari. Nobis secus videtur nostramque de relativi nostri natura ac ratione sententiam tueri etiam exemplis ex Herodoti historia petitis conabimur. Etsi enim non negamus locis a Struvio rara diligentia conquisisit potuisse quidem Herodotum etiam relativo ὁς uti, non tamen ea re concuti ac labefactari nostram de horum pronominum diversitate sententiam patimur, et confidenter pronunciamus, alium ubique eorum enunciatorum sensum esse, in quibus ὅστις, alium eorum, in quibus ὁς legitur. Quum enim ad rem quantumvis certam ac definitam referatur ὅστις, tamen ea semper huius relativi vis est ac ratio, ut res illa certa sub generali aliqua notione accipiatur atque ita proponatur, ut tanquam incerta, legenti certe vel audienti, appareat.

Herod. III, 115 haec leguntur: περὶ δὲ τῶν ἐν τῇ Εὐρώπῃ τῶν πρὸς ἑσπέρην εἰσιτιέων ἔχω μὲν οὐκ ἀποεῖσθαι λέγειν· οὔτε γὰρ ἔγωγε ἐνδέομαι Ἡριδανὸν καλέεσθαι πρὸς βαρβάρων ποταμὸν ἐνδιδόντα ἐξ θύλασσαν τὴν πρὸς βορρὴν ἄνεμον, ἀπότεν τὸ ἡλεκτρον φοιτᾶν λόγος ἐστίν κ. τ. λ. Loquitur Herodotus se fabulo illo fluvio Eridano, quem scriptoris nostri tempore fama ferebat cum Cassiteridibus occidentem versus Europam finire, quem tamen Herodotus in illis regionibus esse negat, quod sibi persuadere non possit flumen esse graeco nomine Eridanum appellatum a barbaris. Itaque non de flumine agitur certo ac definito, neque ἀπότεν ad Ἡριδανὸν magis spectat quam ad ποταμόν, ut sensus sit: „esse ibi flumen aliquod Eridani nomine insignitum, a quo etc., ut ὅστις suo loco positum esse videatur, nec facile intelligas, cur Matthaeus h. l. ἀπότεν recipere noluerit et, id quod aliis quoque locis faciendum putavit, ἀπὸ τοῦ scripserit, quam pronominis relativi formam Struvius ab Herodoto alienam esse demonstravit.

Paullo aliter se habent loci tales, qualis est Herod. I, 7. Ἀγρων μὲν γὰρ ὁ Νίνον τοῦ Βῆλον τοῦ Ἀλκαιόν πρῶτος Ἡρακλειδέων βασιλεὺς ἐγένετο Σαρδίεων, Κανδάνης δὲ ὁ νοτατος. οἱ δὲ πρότερον Ἀγρωνος βασιλεύσαντες ταῦτης τῆς χώρης ἔσαν ἀπόγονοι Λιδοῦ τοῦ Ατνος, ἀπότεν ὁ δῆμος Λιδίος ἐκλήθη ὁ πᾶς οὗτος κ. τ. λ. Quamquam hic quoque, si Herodotus pro ἀπότεν scripsisset ἀπ'οὐ, nemo illud desideraret, non tamen eam ob caussam ὅστις h. l. eadem quam ὃς significationem habere putandum est. Locus sic explicandus esse videtur. Etsi Lydus rex Herodoto certa persona est, tamen relativus ἀπότεν tanquam incertus audiens vel legenti designatur, ut, si id quod scriptor illo pronomine significat latine reddas, interpretandum sit: „Qui vero ante Agronem in ea regione regnaverant, oriundi erant a Lydo, Atyis filio, rege (aliquo), a quo universus hie populus Lydorum nomen accepit.“ Germanice dicas „von Lydus, einem (Könige) von dem etc. Simili ratione ceteri loci explicandi sunt, quos attulit Struvius p. 5 sq., veluti I, 145: μετὰ δὲ Λιγύρων κοι Αἴγαιοι, ἐν τῇ Κράθις ποταμὸς ἀείναος ἔστι, ἀπότεν ὁ ἐν Ἰταλίῃ ποταμὸς τὸ οὐνομα ἔσχε· h. e. in qua est amnis aliquis, Crathis, a quo etc. IV, 45: ἥ δὲ Ασίη λέγεται ἐπὶ τῆς Προμηθέου γυναικὸς ἔχειν τὴν ἐπωνυμίην· καὶ τούτου μὲν μεταλαμβάνονται τοῦ οὐνόματος Λιδοί, φάμενοι ἐπ Ασίω τοῦ Κότυος τοῦ Μάρεω κεκληθαι τὴν Ασίην, .... ἀπότεν καὶ τὴν ἐν Σαρδίσι φυλὴν κεκληθαι Ασιάδα. Ad certam utique h. l. ac definitam personam spectat ἀπότεν, sed tamen hic quoque ab altero illo relativus magno separatum est discrimine. Eo enim quo utitur relativus Herodotus Asien sub generali notione comprehendit et tanquam incertum proponit, ut sensus sit: „ab Asie, rege (aliquo) a quo etc. Eadem ratione alia quoque exempla a Struvio ex Herodoto aliisque scriptoribus petita explicari posse perspicuum est, veluti Soph. Aiac. 1299 sqq. ἐκ πατρὸς μὲν εἰμι Τελαμῶνος γεγὼς, ὅστις στρατον τὰ πρῶτα ἀφιστεύσας εὑήν τοζει ἔννευνον μητέρα.

De iis locis, quibus relativus ὅστις demonstrativum οὗτος praemittitur, verum vidit Hermannus (l. l. p. XII). Hic quoque ὅστις suam vim obtinet et diversum est ab ὃς. Videamus nonnulla eius usus exempla. Herod. I, 167 haec sunt: οἱ δὲ αὐτῶν ἐξ τὸ Ρήγιον καταφυγόντες ἐνθεύτεν ὄρμεώμενοι ἐκτήσαντο πόλιν γῆς τῆς Οἰνοφρίης ταῦτην, ἥτις νῦν Υέλη καλέεται. Eam

ob caussam pronomine ὅςτις utitur Herodotus, quod non illud propositum habet, ut eos, qui Rhegium confugerint, hoc certum oppidum, Veliam, sed generatim oppidum *aliquid* condidisse narret. Haud aliter res se habet II, 99. ὡς δὲ τῷ Μῆνι τούτῳ τῷ πρώτῳ γενομένῳ βασιλέϊ χέρσον γεγονέναι τὸ ἀπεργμένον, τοῦτο μὲν ἐν αὐτῷ πόλιν κτίσαι ταύτην, ἡτις νῦν Μέμφις καλέεται. h. e. condidisse urbem aliquam etc. cf. VI, 47: καὶ μαρῷ ἦν αὐτῶν θωμασιώτατα τὰ οἱ Φοίνικες ἀνένδον οἱ μετὰ Θάσου κτίσαντες τὴν νῆσον ταύτην, ἡτις νῦν ἐπὶ τοῦ Θάσου τούτου — τὸ οὖνομα ἔσχε, h. e. insulam aliquam etc. Alia exempla habet Herm. I. I. cf. Struv. I. I. p. 6.

Quae idem Hermannus exempla affert, ut relativum ὅςτις rationi reddenda inservire et enunciata, in quibus hoc relativo utantur scriptores Graeci, causalem significationem habere posse demonstret, si accurate rem pensitaveris, eorum haud diversam naturam et rationem esse facile perspicies. Herod. VII, 99: τῶν μέν νυν ἄλλων οὐ παραμένηνται ταξιαρχέων, ὡς οὐκ ἀναγκαζόμενος, Ἀρτεμισίης δὲ, τῆς μάλιστα θοῦμα ποιεῦμαι ἐπὶ τὴν Ἑλλάδα στρατευσαμένης γυναικός, ἡτις ἀποθανόντος τοῦ ἀνδρὸς αὐτῆς τε ἔχουσα τὴν τυραννίδα..... ὑπὸ λήματός τε καὶ ἀνδρηῆς ἐστρατεύετο οὐδεμιῆς ἐούσης οἱ ἀναγκαῖης. Rationem reddit scriptor enunciato relativo, cur commemorare Artemisiam velit. Latino sermone recte interpreteris „quae (vel ut quae) expeditionem fecerit“, germanice „(als) eine die den Feldzug mitgemacht“ — Licebat etiam reddere rationem altero relativo „ἡ — ἐστρατεύετο“. Quod si fecisset scriptor, diversam futuram fuisse enunciati causalis rationem patet ex iis quae supra (p. 14 sq.) dicta sunt; ἡ — ἐστρατεύετο latine vertendum esset „quae — expeditionem fecit“, germanice „sie, die ic.“ Similimma est ratio loci VI, 12: τίνα δαιμόνων παραβάντες τάδε ἀναπιπλαμεν, οἵτινες παραφρονήσαντες καὶ ἐκπλάσαντες ἐκ τοῦ νόου ἀνδρὶ Φοινικῷ ἀλαζόνῃ, παρεχομένῳ νέας τρεῖς, ἐπιτρέψαντες ἥμέας αὐτοὺς ἔχομεν, ubi enunciato relativo Iones rationem reddunt, cur se impie fecisse in deum aliquem putent. Latino interpretandum est „qui (ut qui) nos ipsos commiserimus. cf. VIII, 142: αἰτίους γενέσθαι δούλοσύνης τοῖσι Ἑλλησι Ἀθηναίοντος οὐδαμῶς ἀνασχετόν, οἵτινες διεὶ καὶ τὸ πάλαι φαίνεσθε πολλοὺς ἐλευθερώσαντες ἀνθρώπους. cf. VI, 12. IX, 27.

DE VERSU ILIAD. II, 144.

Agamemno habita coram exercitu oratione, qua, ut exploraret militum fidem, desperandum esse Troiae expugnationem et exercitui belli laboribus fatigato domum ad uxores liberosque revertendum esse per simulationem demonstravit, vehementer commovit militum animos. Ortum autem ista oratione tumultum ita describit Homerus:

κινήθη δ' ἀγορῇ, ὡς κύματα μαρῷ θυλάσσης,  
πόντον Ἰκαρίνῳ κ. τ. λ.

In quibus verbis nemo haereret, nisi Schol. Ven. A. doceret, Zenodotum pro Aristarcheo ὡς κύματα legisse φῆ κύματα. Scholiastae verba haec sunt: ὡς κύματα· ὅτι Ζηνόδοτος γράψει φῆ κύματα· οὐδέποτε δὲ Ὄμηρος τὸ φῆ ἀντὶ τοῦ ὡς τέταχεν. Idem Zenodotus locum II. XIV, 499:

ὁ δὲ φῆ κώδειαν ἀνασχών

ita interpretatus est, ut φῆ non, ut Aristarchus, pro verbo, sed pro adverbio comparationis acciperet. Schol. Ven. A. haec habet: ὁ μὲν Ζηνόδοτος καὶ τὸν δέ καὶ τὸν φῆ ἐγκλίνει, ἵνα τὸ φῆ ταῦτὸν ἴπαρχῃ τῷ ὡς, καὶ τὸ μεταλαμβανόμενον τοιοῦτον ἦ, ὁ δὲ ὡς κώδειαν ἀνασχών πέφραδέ τε Τρώισσιν. Ὁ δὲ Ἀρίσταρχος ἐκδεξάμενος τὸ ἔφη ὅημα ὄμοιως τῷ ἔβη δουκεῖ ἀθετεῖν τὸν δεύτερον στίχον, ὅπερ ὅνκ ἀναγκαῖον· ποιητικὸν γὰρ ἔθος τὸ πολλάκις τὸ ἀντὸν ἐπαναλαμβάνεσθαι. Πρὸς δὲ τὸν Ζηνόδοτον ἴγιας ἀποφαίνεται ἐκεῖνο, ὅτι ὁ ποιητὴς οὐδέποτε οἰδε τὸ φῆ ἀντὶ τοῦ ὡς, οἱ δὲ μετ' αὐτὸν, ὥσπερ Ἀντίμαχος καὶ οἱ περὶ Καλλίμαχον. — Idem Schol. A. ἄλλως. Ἀρίσταρχος τὸ φῆ ὅημα ἐκάθεται καὶ ἀθετεῖ τὸν ἔξης· δύναται δὲ καὶ δισσολογία εἶναι, ὡς τὸ „τοῖσι δὲ καὶ μετέειπε γέρων ἥρως Ἐχένηος, ὁ σφιν ἐϋφρονέων ἀγορήσατο“ καὶ „ἐπος τ' ἔφατ' ἔκ τ' ὄνόμαζεν“. ἦ τὸ πέφραδε διεσήμανεν.

Scholl. L. et V. φῆ: ὡς. ἀλλ' ἔστι νεώτερον· ἀμεινον οὖν παραλεῖπθαι μετὰ τὸ ἔφη τὸ ὡς (*Τηλεμάχον ἐπάρω τε κασιγνήτῳ τε ἔσεσθε Od. φ, 216*) καὶ ἐκ παραλλήλου εἶναι τὸ φῆ πέφραδε ηῦδα.

Schol. A. ad v. 500: ἦ διπλῆ, ὅτι ἀναγνόντες τινὲς φῆ κώδειαν ὑφ' ἐν, ἵν' ἦ ὡς κώδειαν, προσεπέταξαν τὸν ἡθετημένον. οὐδέποτε δὲ Ὄμηρος τὸ φῆ ἀντὶ τοῦ ὡς τέταχεν. ἵσως δὲ καὶ Ἀντίμαχος ἐντεῦθεν ἐπιλανήθη „φῆγέρων οἴσιν“ (φῆ γεράνοισιν emendavit Bekkerus, φῆ ὃς γέρων οἴσιν Buttmannus Hermanni emendationem in hymn. Merc. respiciens) εἶπών· δεῖ δὲ ἔξωθεν προσλαμβάνειν τὸ ὡς καὶ ἀθετεῖν τὸν στίχον· ταντολογίαν γὰρ περιέχει.

Adde Eustath. Ἐν δὲ τῷ, φῆ κώδειαν ἀνασχών, πέφραδέ τε, Αρίσταρχος μὲν ὅγμα ἐκδέχεται τὸ φῆ, οἷα τοῦ ὡς ἔξωθεν προσνοούμενον, ἵνα λέγῃ, ὅτι δὲ ἔφη ὡς κώδειαν ἀνασχών, πέφραδέ τε καὶ ἐπος ηὔδα, καὶ εἴη κατὰ παραλληλίαν ταῦτολογία ἐν τῷ φῆ καὶ πέφραδε καὶ ηὔδα. Τοῦτο δὲ διὰ τὸ ἐν τοῖς ὅγμασι τοῦ Πηνελέου σῶφρον καὶ οὐδὲ ἔξω πάθον· ηρκέσθη γὰρ δὲ ἥρως τῷ ἔργῳ εἰς λύπην τῶν Τρώων, ὃ πάνυ παροξυντικόν ἐστιν εἰς θυμόν, εἰ οὕτως ἀνατείνας παραδειγματίζει τοῦ πεσόντος τὴν κεφαλήν· καὶ οὕτω μὲν Αρίσταρχος περὶ φῆ κώδειαν ἀνασχών· οἱ δὲ νεώτεροι καὶ Ζηνόδοτος τὸ φῆ ἐπιλόγημά φασι παραβολικόν, οὐδέποτε ὑψῷ Ομήρου ὥρθέν.

Haec Scholl. et Eustath. Apparet veteres interpres Aristarchi auctoritatem sequi omnes et statuere, loco nostro non φῆ, sed ὡς legendum esse. Recentiorum vero criticorum mirum quantum inter se discrepant iudicia de lectione atque interpretatione Zenodotea. Heynius (vol. IV, p. 221) vocabulum φῆ monstrum lectionis, Wolfius (prol. p. 204) vocabulum absurdum appellat. His assentuntur Lehrsius (de Aristarchi stud. Homeric. p. 93 sq.) et Spitznerus (excurs. XXV ad II. Vol. II). Alii vero iisque magni nominis critici non tolerandam modo lectionem Zenodoteam, sed etiam longe praeferendam Aristarchi scripturae censuerunt. In quibus primum nominandus est I. Bekkerus, qui in censura recensionis Wolfianae (diar. litter. Jenens. a. 1809, N. 245, p. 143) vocabulum φῆ defendendum suscepit atque in Homericum, quem vulgavit, textum recepit. Post eum Buttmannus (lexil. I p. 236 sqq.) egregia disputatione acriter impugnati vocabuli caussam egit. Cum his consentiunt Thierschius (gr. gr. §. 158, 14), Vossius (Sched. critic. I, p. 247 sq.) Bothius (ad II. II, 144). Addere licet Hermannum, quem eo, quod in Hom. Hymn. Mercur. v. 241 pro particula δῆ loco insolito posita φῆ scripsit, Zenodoteae lectioni favere appetat. Si non Zenodotus, sed Aristarchus nostro Iliadis loco voc. φῆ in textum receperisset et II. XIV, 499 φῆ κώδειαν idem esse statuisset atque ὡς κώδειαν, sine dubio non ita fastidirent adv. φῆ Scholiastae, quippe qui tantam principi criticorum auctoritatem tribuerent, ut paene ab omni errore vacuus videretur utque errare cum illo quam cum ceteris vera sentire mallen. Nunc tanto cum fastidio aspernantur. Si sequendam Lehrsi rationem statueremus, qui docet (l. l. p. 67 sq.) nunquam dissentendum esse a veterum criticorum principe, nisi quid in eius recensione inveniatur a consuetudine poetae plane absonum, statim diiudicata lis foret de v. Iliad. II, 144. Quis enim particulam ὡς absonam dicat ab Homeri consuetudine? Nemo est quin intelligat, nemo qui offendat in vocula, Aristarchus in textum recepit, ergo non est dubium, quin ita, non aliter sit scribendum. Et tamen effici fortasse potest, subscribendum esse rationi Zenodoteae.

Recte monuit Buttmannus, lectionem φῆ h. l. non Zenodoti ingenio, sed antiquiorum librorum fidei deberi. Quod etsi e scholiistarum verbis elici non potest, nihilo tamen minus pro certo habendum. Vix enim assequaris, quid tandem adducere potuerit Zenodotum, ut pro vocabulo plano et perspicuo ὡς aliud minus usitatum et non cognitum fortasse nisi doctis aequalibus suis in textum reciperet. Spitznerus (l. l. p. XXX) aliter sentit, nec tamen idoneis argumentis sententiam suam confirmat. Nam quod dicit Zenodotum versui nostro inseruisse voc. φῆ, ut ei, quod II. XIV, 499 in libris se legisse opinatus sit, plus ponderis

esset et auctoritatis, vereor ut cuiquam satisfaciat. Auget auctoritatem scripturae Zenodoteae, quod Schol. A. observat, Homerum quidem non uti vocabulo φῆ, sed apud poetas Homero posteriores usurpatum inveniri, ut apud Callimachum et Antimachum. Namque etiamsi Callimachi usui minus momenti tribuendum est, quum obiicere in promptu sit, hunc poetam voc. φῆ Zenodoteae Homeri recensioni debuisse, minime tamen contempnenda videtur Antimachi poetae auctoritas, quem Platonis tempore floruisse et ipsum recensionis Homericae auctorem fuisse constat. Non enim verisimile est, quod suspicari videtur Schol. A. ad Il. XIV, 500 eumque secutus Spitznerus l. l., Antimachum se decipi passum esse versu 499 eiusque prava interpretatione voc. φῆ in usum suum arripuisse. Est haec mera opinio, quae nullo nititur argumento, recteque monet Buttmannus, fieri non potuisse, ut Antimachus Homerici sermonis consuetudinem adeo ignoraret. Ceterum bene monuit Spitznerus (excurs. XXVI ad Il. Vol. II) et ductis ex Homericis carminibus exemplis demonstravit, male se habere Buttmanni praecepsum, qui negat particulam ὡς in veris comparationibus usquam apud Homerum nominativo aut accusativo ita praeponi, ut latino *instar* cum genitivo iuncto respondeat. Qua Spitzneri disputatione quamquam simul infirmata est gravissima earum rationum, quibus Buttmannus voc. φῆ versui Il. II, 144 vindicare conatus est: tamen minime concesserim aspernandam esse Zenodoti lectionem, quum praesertim mirifice adiuvetur versu Il. XIV, 499, ubi non de scriptura agitur, sed de interpretatione scripturae criticis omnibus probatae, Lehrsio excepto, qui non modo vers. 500 pro adulterino habet, sed etiam de versu 499 addubit, quamquam nulla addita dubitationis sua causa. Longiorem hic locus disputationem postulat: qua si demonstrari poterit, Zenodotam versus 499 interpretationem praeferendam Aristarchae et voc. φῆ pro adverbio comparationis habendum esse, non sane levitatis vel temeritatis arguendus erit, si quis etiam Il. II, 144 Zenodoti scripturam in textum recipiendam esse existimaverit.

Postquam igitur narravit poeta, Peneleum, Boeotorum ducem, Ilionei, Phorbantis filii, caput a cervice detruncasse, sic pergit:

ὅ δὲ φῆ κώδειαν ἀνασχὼν  
Πέρησαδέ τε Τούθεοσι καὶ εὐχόμενος ἔπος ἥδα.

Veteres interpres assentantur, ut solent, omnes Aristarcho, qui voc. φῆ non pro particula comparativa, sed pro imperfecto verbī φῆμι accipit. Primum subeat mirari, quod non offendit in verbis κώδειαν ἀνασχών. Nam κώδεια Scholiastis, Eustathio, Apollonio (lexic. Hom. p. 426 Toll.) aliisque testibus significat apud Homerum caput papaveris, non hominis: qua quidem posteriore significatione ab infimae demum aetatis scriptoribus, Nicandro, Lycophrone aliis usurpatur, quos non inepte coniicias ex male intellecto Homeri loco suum verbi κώδεια usum traxisse, neque diversos ab his eos esse poetas, quos significat Pollux his verbis: τὴν μέντοι κεφαλὴν οἱ ποιηται καὶ κώδειαν καλοῦσσιν ἀπὸ τῆς μήκωνος κεφαλῆς ὄνουμάσαντες. Nec profecto per se verisimile est, iam apud Homerum hanc vocem a prima sua ac propria significatione descivisse. Quae quum ita sint, quomodo explicari possint verba κώδειαν ἀνασχών, nisi voc.

*φῆ* pro adverbio comparationis accipias, fateor me nescire. Scholiastae quidem et Eustathius et Apollonius l. l. ad tollendam hanc difficultatem ante *καόδειαν* adverbium *ως* supendum esse censem; sed est hoc genus dicendi inusitatum apud Homerum et diversa est ratio loci Od. XXI, 216 a Scholl. comparati. Spitznerus quoque omnem de his verbis dubitationem sustulisse sibi videtur monendo, metaphoram aequa bene atque comparationem Homero convenire; illa enim minime perire imaginem. At non Ciceronis praeceptis rhetoricae, sed exemplis ex Homero petitis comprobandum erat viro doctissimo, tales metaphoras non abhorrire ab Homeri consuetudine. Haec est difficultas, quam nemo eorum, qui Aristarchae interpretationi favent, ita removit, ut non multum restet dubitationis, et suspicari licet Lehrsium (l. l. p. 93) hac ipsa re commotum de toto versu 499 addubitassem. Sed demus voc. *καόδεια* vel caput hominis significare h. l. vel metaphoram pro comparatione admissem Homerum: manet tamen inextricabilis difficultas in versu sequenti. Nam tria verba *φῆ-πέφραστε ηῦδα* (quidquid statuere placet de verbo medio) tali modo deinceps posita non plurimum offensionis habere vix cuiquam epicis sermonis gnaro persuadeas. Nonnulli quidem veterum interpretum dicendi verbum ter positum esse *ἐκ παραλλήλον* existimant neque inesse in hac tautologia quod displicere possit. At hac interpretatione nihil frigidius, nihil Homero indignius excogitari potest. Nusquam ita locutus est divinus vates; quam enim diversa sint exempla a Schol. A. allata, intelligere in promptu est. Libet apponere versus Il. XVIII, 25 sqq., quos ante oculos habuit Scholiasta:

*Τοῖσι δὲ Πουλυδάμας πεπνυμένος ἡρῷ' ἀγορεύειν  
Πανθοίδης· ὁ γὰρ οἶος ὅρα πρόσσω παὶ δύσσω.  
Ἐκτορὶ δ' ἥειν ἐταῖρος, ἵη δὲν νυκτὶ γένορτο.  
ἄλλ' ὁ μὲν ἄρι μύθοισιν, ὁ δέγχει πολλὸν ἐνίκα.  
ὅ σφιν ἔνφρονέων αγοράσατο καὶ μετέειπεν.*

Quis non videt primo statim aspectu, h. l. interiectis tribus versibus necessariam fieri verbi *ἀγορεύειν* repetitionem et longe aliam esse loci nostri rationem? Aristarchus vero v. 500 obelo notavit tanquam adulterinum. Cuius obeli causam si quaeres e Scholiastis, nullam aliam elicere poteris ex eorum animadversionibus, quam quod in tautologia a nobis notata Aristarchus offenderit. Quid enim aliud significare possint verba: *δοκεῖ ἀθετεῖν τὸν δεύτερον στίχον* ὅπερ οὐκ ἀναγκαῖον. *ποτητικὸν γὰρ ἔθος τὸ πολλάκις τὸ αὐτὸν ἐπαναλαμβάνεσθαι*. et haec: *Ἄρισταρχος τὸ φῆ ὄημα ἐκδέχεται καὶ ἀθετεῖ τὸν ἔσης δένταται δὲ καὶ δισσολογία εἰναι, ὡς τὸ τοῖσι δὲ καὶ κ. τ. λ.* Sin Lehrsio fides habenda est, non haec fuit causa athetesis Aristarchae, sed teste Apollonio (l. l. p. 549 et 697 Toll.) eam potius ob causam versum 500 loco moveri voluit summus criticus, quod verbum *φράζειν* numquam apud Homerum dicendi, sed semper indicandi notionem haberet. In quo ego non video qua ratione ductus Lehrsius conspirare cum Apollonio dicat Scholiatas et Eustathium, apud quos nullum huius rei vestigium invenitur. Sed sive Apollonius, sive Scholiastae veram athetesis Aristarchae rationem indicaverunt, ea videtur esse Lehrsii sententia, si dicendi significatio verbi *φράζειν* Homero conveniret, versum 500, etiamsi

$\varphi\eta$  pro verbo acciperetur, nihil offensionis habere et posse retineri. Quia in re nos assentiri non posse viro doctissimo, non est quod iterum moneamus. Ceterum de verbo  $\varphi\alpha\zeta\epsilon\nu$  sic iudico. Non *indicare* solum significat apud Homerum, sed etiam *ostendere*. Sufficit laudare vers. Od. VII, 49, ubi Minerva Ulixem comitata

οὐτος, inquit, δή τοι, ξεῖνε πάτερ, δόμος ὁν με κελεύεις  
περφραδέμεν —

cf. v. 29 eiusdem rhapsodiae, ubi ait Minerva:

Τοιγάδε ἔγω τοι, ξεῖνε πάτερ, δόμον ὁν με κελεύεις  
δείξω.

hymn. Ven. v. 128 coniunctum verbum cum synonymo *δεικνύναι*. Indicari autem et ostendi aliquid potest etiam verbis; inde nascitur dicendi significatio. *Φαίνω* ( $\Phi\Lambda\Omega$ ) est *ostendere*,  $\varphi\eta\mu\iota$  autem, quod est verbum eiusdem originis, *dicere*. Cum graeco verbo *δείκνυμι* ( $\Delta E I K \Omega$ ) sine ulla controversia cohaeret latinum *dico*, et sine dubio etiam verba germanica zeigen et sagen eandem originem habent. Itaque  $\varphi\alpha\zeta\epsilon\nu$  non solum est indicare, ostendere, sed etiam dicere. cf. Od. XIX, 557. I, 273. Neque enim Telemachus in concione Argivis „rem“ indicare potuit nisi dicendo. Hoc vero concesserim recte statuisse Lehrsium, usquam dixisse Homerum πέρφραδες Τρώεσσι vel ἐν Τρώεσσι pro ἀγορήσατο, μετηίδα. Sed nobis minime opus est hac verbi  $\varphi\alpha\zeta\epsilon\nu$  significatione. Nego enim retineri non posse versum ab Aristacho notatum nisi vindicata verbo  $\varphi\alpha\zeta\epsilon\nu$  dicendi significatione, nec satis scio, quid valeant Lehrsii verba (l. l. p. 94). „Buttmannum de his versibus et de veterum interpretatione disputasse, quum nec Aristarchi observationem de verbo  $\varphi\alpha\zeta\epsilon\nu$  nec eius athetesin nosset, non fidem haberemus referenti; sed „qui vident plane sciunt.“ Nam neque Buttmannus, neque Vossius, quem Spitznerus temere Lehrsio adstipulatus adiungit Buttmanno, usquam dixerunt,  $\varphi\alpha\zeta\epsilon\nu$  h. l. idem esse quod dicere, vel necessario hunc ei significatum tribuendum esse, si quis retinere ac pro genuino habere vellet versum 500. Vossius non tangit quidem loco supra laudato verbi *πέρφραδε* significationem, sed qualem esse statuerit, videre licet ex eius interpretatione horum versuum:

Er schmetterte nieder zur Erde  
Sammt dem Helm das Haupt. Noch war die gewaltige Lanze  
Ihm durch das Auge gebohrt; dann hub er es, ähnlich dem Mohnhaupt,  
Zeigt es dem Troervölk und rief lautjauchzend den Ausruf:

Neque Buttmannus apertis verbis indicat suam de hac re sententiam; sed qui attente legerit totam eius disputationem, non aliam eius quam Vossii sententiam esse facile sibi persuadebit. Utrique igitur verbum  $\varphi\alpha\zeta\epsilon\nu$  h. l. *ostendendi*, non *dicendi* significationem habere visum est. Iam vero quid miratur Lehrsius in Buttmanno, quid Spitznerus in Vossio? An quod ignorarunt Aristarchi observationem de verbo  $\varphi\alpha\zeta\epsilon\nu$ ? At si vel maxime eam cognitam habuisserint, num aliter de vocabulo  $\varphi\eta$  et de athetesi Aristarchi iudicasseut? Nihilo minus, opinor, Aristarchea loci interpretatione praeclarae imaginis elegantiam minui pro certo ha-

buiissent. Miror vero non vidisse Lehrsium, dicendi significationem minime, ostendendi autem praeclare loco nostro convenire. Hac admissa verbi significatione — admitti autem posse supra vidimus — nobis persuasum est et confidenter pronuntiamus, totum locum, qualem exhibuit Zenodotus, optime se habere, nec dubitamus addere, sine causa versum 500 ab Aristarcho notatum esse. Nec Spitznero omni ex parte satisfecisse videtur eius athetatis; namque aub finem excursus sui de voc. φή, postquam multus fuit in defendendo Aristarcho, suspicatur, fieri tamen posse ut retineatur versus, si πέρισσε explicetur ἔδειξε. Ita vero, quum reformidet Zenodoteam vocabuli φη interpretationem, balbutientem facit Homerum. Quis enim serio contendat, ita cecinisse summum poetam: „hic autem dixit sublato papaveris capite et ostendit Troianis et locutus est gloriabundus“? Nihilne haec differunt ab his verbis: δοσφιν ἐνθρονέων ἀγοράσατο καὶ μετέπειπεν? Sed post ipse sentit Spitznerus, huic explicationi obstarere πέρισσε parum concinne interiectum inter utrumque dicendi verbum. Quare ad novum configuit experimentum. Putat enim omnium se satisfacturum esse desideriis vocabulo φη mutato in βῆ. Sed cur mutemus ubi, quod scriptum est in codicibus, optimum sensum praebet? Nec verisimile est Peneleum incidentem demum cum sublato capite Troianos allocutum, sed statim post detruncatum Ilionei caput quasi quodam fervore abreptum ad hostes se loquendi caussa convertisse. Quae quum ita sint, verum vidisse Zenodotum eiusque rationem sequendam esse arbitror. Κώδεια est caput papaveris; κώδειαν ἀνασχῶν poni non potest pro ὡς κώδειαν ἀνασχῶν, nec est metaphorae locus; φή (nam sic scribendum teste Schol. vid. Buttm.) est adverbium comparationis; πέρισσε idem est quod ἔδειξε; Aristarchus igitur sine ulla caussa versum 500 pro adulterino habuit. Quodsi concedendum est, Zenodoteam huius loci amplectendam esse interpretationem, haud absurde coniicias, II. II, 144 Aristarchum, nimium verborum, quae vetustatem olerent, osorem et captatorem vulgarium locutionum pro antiquiorum librorum scriptura a Zenodoto in textum recepta vocabulum ὡς substituisse.



— 30 —

motu invenit se quoniam in rebus aliis invenit se in rebus aliis. non enim possunt  
easce maius iste sit invenimus in aliis. sed eae non sunt nisi res invenimus  
aliis. namque nesciunt quoniam in aliis non sunt. sed eae sunt nisi res  
invenimus. invenimus autem res per nos. invenimus res invenimus. res invenimus.  
Invenimus autem res invenimus. res invenimus. res invenimus. res invenimus.  
Invenimus autem res invenimus. res invenimus. res invenimus. res invenimus.  
Invenimus autem res invenimus. res invenimus. res invenimus. res invenimus.  
Invenimus autem res invenimus. res invenimus. res invenimus. res invenimus.  
Invenimus autem res invenimus. res invenimus. res invenimus. res invenimus.  
Invenimus autem res invenimus. res invenimus. res invenimus. res invenimus.  
Invenimus autem res invenimus. res invenimus. res invenimus. res invenimus.  
Invenimus autem res invenimus. res invenimus. res invenimus. res invenimus.  
Invenimus autem res invenimus. res invenimus. res invenimus. res invenimus.  
Invenimus autem res invenimus. res invenimus. res invenimus. res invenimus.  
Invenimus autem res invenimus. res invenimus. res invenimus. res invenimus.  
Invenimus autem res invenimus. res invenimus. res invenimus. res invenimus.  
Invenimus autem res invenimus. res invenimus. res invenimus. res invenimus.  
Invenimus autem res invenimus. res invenimus. res invenimus. res invenimus.

S. 30

